

CARMEN NATALICIUM
 DIE III. AUGUSTI
 REGIS POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI
FRIDERICI GUILIELMI III
 VERI PATRIAE PATRIS

DIE NATALI

RECITATUM

AB

ERN. KAESTNERO, Rect.

Quid sarta muris pendula, quid pii
 Flores velint, quid, quaeritis, hic chorus
 Laetos sonans ex pectore hymnos,
 Festaque quid velit haecce turba?

En, alta firmis moenia molibus
 Substructa pandunt hic adytum novum
 Musis pudicis gratisque
 Linquere tecta caduca jussis.

Favete linguis! en, chorus, en, sacer
 Intrat sororum, circumit, horreo
 Spectans profari, circumit nos,
 Statque gyro tacitus peracto.

Auditis, an quis me sonus insolens
 Fallit? jubet me carmina non prius
 Tentata cantare, atque fortem in
 Materiem ruere insolentem.

Praeconium me dicere praecipit
 Pacis benignae, Pacis enim est opus,
 Quod dedicamus, vota sancta
 Quod petiere pio labore.

Musis amica est illa, otii sacri
 Tutans recessus, quos adit ut puer
 Sic vir senexque, unde hauriatur
 Quo sapiant agitentque laeta.

O nos beatos! quis dedit hoc deus,
Tuto ex recessu bella procul pede
Spectare duro ut dona Veris
Imposito deleant opima.

Saevos furores immeritus luit
Incontinentum belligerantium
Ruris miser parvi colonus,
Innocuaeque caterva prolis;

Incensa fumant sacrilega manu
Templa hic et illic splendida praedia,
Manant cruore amnis nemusque, et
Incolume est nihil, ah! sacrum nil.

En nostra circum rura virentia,
Certam coloni spemque solatiumque;
Ut fausta maturat legitque
Pax segetes radiansque pomum.

Palnam laboris porrigit impigri
Messoribus nunc depositis manu
Pax falcibus duris coronam
Spiciferam atque odorata sarta;

Et densus orbis laeta sonantium
Arvo redux, en, tempora heri boni
Cingens, tumultu exsultat audax,
Inque gyrum sinuat choreas.

Ast illa, quaeso! cui capiti sacro,
Pax, destinatur splendida quolibet
Flore atque fructu, dic, corona?
Tempora quae decorabit ista?

Non tale durae convenit, ah, decus
Vilique fronti ruricolae impigri,
Quam multa sulcat ruga, quamque
Sirius acer adurit ardor.

Data est! dataque ut hic ovat integer
Annis chorus, sic virque senexque ovant,
Regis caput sanctum videntes,
Debita quod gerit ista dona.

Divina splendet lux diadematis
Borussici, tot conspicui bene
Gestis patrum rebus secundo et
Alite et ingenio sagaci;

Non una vidit sceptriferam alitem
Pugna ex cruenta tollere splendidam
Victoriae palmam beatam
Urbs, fluviis neque vidit unus.

Illic, ubi alte prospicit hinc procul
Silesiam almam, hinc Bohemiae sata
Lata Asciburgii culmen excelsum,
Albis ubi caput est perenne,

Victricia olim sparserat agmina,
Quem grata quondam dixit ut Unicum
Aequalium aetas, nostra dicit
Suspiciens animam eminentem.

Audivit Albis laetus ovantium
Voces cohortum, atque adstrepuerit gravi
Stridentis undae murmure amplos
Mox Viadrus celebrans triumphos.

Quo, quo, paventem, dicere bellicos
 Motus, tumultus agminum et impetus
 Saevos, me amicum pacis almae
 Pierides rapitis Camenae?

Bluechere, tecum ad fluminis inelyta
 Propello equum nunc litora turgidi,
 Mersoque densam illuc catervam
 Saeva minantis et impii hostis.

Jam Lipsiensis splendet ager capax
 Telis in orbem multiplicem horride
 Junctis: tua adduc agmina illis,
 Gallica sparsa caduntque signa!

Non Rhenus arcet, Sequana non tuum
 Cursum citatum; Gallia territa
 Praebet novas lauros, venit vel
 Ad tua jura Lutetia ipsa.

REGEM tenacem propositi sacri
 Specto paternis signa focus statim
 Erepta reddentem, pio dum
 Grato animoque colit *Datorem*.

Magnus tulisse in proelia atrocia
 Pectus ferox, sed major acerbae iter
 Compescuisse irae solutum,
 Pacis et alma tulisse dona:

Magnus jubar sanctum hoc diadematis
 Auxisse, major, pacis amicus, hanc
 Servasse tetros inter aestus,
 Quis miser hicce notatur annus:

Gentem suorum maximus ast fere
 Deo minorem se gerere edocens,
 Priscaequae morum sanctitatis,
 Et pietatis avorum imago:

Illustre nobis atque nepotibus
 Exemplar, ad quod tum puer adplicet
 Tum cetera aetas recta amantum
 Mentem animumque bono imbuendum.

Salve, dies tu, terque quaterque, quem
 Oblivioni infesta pigrae nota
 Fastis gravi Clio notabit
 Egregium, atque pie colendum

Sero nepoti! lux nitidissima,
 Salve, *patri* tu quae patriae *bono*
 Annum huncce sexagesimum unum
 Nuncia grata refers serenum.

Ast vos, canorae, quis agitantibus
 Pectus calescens dicere proelia
 Ausum est, *pri regisque* laudes,
 Laurigerae Aoniae sorores,

Hunc, hunc sonantes carminibus sacris
 Cessate nunquam; *huic egregio seni*
 Vivax sepulcri expersque nomen
 Pandite, fama stet ut perennis!